



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apodixes, Sive Demonstrationes Tres Horrendarvm Blasphemiarvm Ecclesiae A Calvino Reformatae, Circa tres primos Symboli Catholici Articulos

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphaliae, 1608

Capvt II. An & quomodo filius Dei Caluinistici sit incarnatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35415

Potuit igitur Christus vertiginoso prædicanti informem massam assumere non minus quam eam in morte retinuit, idq; dicere potuisset Bucerus: & non potuit eam eidem assumere, ideoque id Bucerus etiam dicere non potuit. Omitto mentiri hominem prædicantem, cum negat in Bucero ea verba reperiri. Sed quid attinet lectorem fatigare fœdis Apologiae prædicantiae antilogijs feligendis, pleraq; introspecta sunt mendacium.

CAPVT II.

An & quomodo filius Dei Calvinistici sit incarnatus.

Aliquorū
Caluinista
rū Messias
nondum
natus.
2. Probat.

DE hoc in 1. parte thesis 13. res tota paucis
ita potest comprehendi. I. Vero fit
admodum simile Calvinistarum omnium
Christum nondum venisse. Probatur 1. quia
Martino Bucero Caluini Magistro, Apostolo
in Angliam, Euangelismo illustrandam, mis-
so; viro (vt prædicans inquit §. 102.) *sua etate &
etiamnum in aestimatione maxima habito* visum
est, & quidem iam iam morituro, & ante De-
um iudicem huius verbi apparituro, Chri-
stum Iesum non fuisse Messiam promissum,
sed alium exspectandum. Lindan. Dial. 2. Du-
bit. Genebr. ad annum Christi 1551. Posseni-
nus in Atheismis ad artic. 3. Symboli Apost.
Vlen.

Vlenbergius causa II. his si potius assentimur quam prædicanti, testes omnes Catholicos Lutheranosq; repudianti ignoscet, quia prædicanticè desperateque eum mentiri solitum paulo ante vidimus.

2. Probatur idem. Dicere: *sufficit nobis ad salutem fides populi Iudaici*, non est aliud quam dicere: necesse non est credere venisse Messiam.

2. Probat.

At id asseruit caluinizans Acontius li. 3. Stratagematum Sathanæ. Similiter dicere: *quæ disputantur de Trinitate, de Deo, de Christi statu, &c.* De his c. II. Apod. 2.

ne querenda quidem esse, est manifestè dicere, non curandum magnopere, quid de Trinitate, de Deo, de Christo sentiatur & credatur.

Hoc vero locutus est modo intimus caluino castalio apud Bezam lib. de hæreticis. Denique dicere: *Anabaptistas tolerabiles esse, & circa parerga tantum quadam & res secundarias morbidè languere*, idè est ac dicere, languorem aliquem, & parergon, remque secundariam esse in fide, non credere cum Anabaptistis (de qua re calvinus in tract. contra Anabaptistas) Christum verum esse hominem. Atqui ista Musculi in locis communibus capit. de hæreticis verba sunt.

3. Probatur ex eo quod eandem insinuavit doctrinam Andreas Friccus, cum in libello *Deus Pater de Mediatore ait: videre non possumus quomodo videtur incarnatus cum vna sit trium personarum essentia, non Pater si- Caluinistis mul cum Filio incarnatus sit.* Nec mirum id à cal-

3.

Deus Pater
videtur in-
carnatus
Caluinistis

Q

uinista

uinista videri non posse; quando quidem ipse
 Caluino in I. c. Ioan. v. i. quod Apostolus vocat Ser-
 monem Filium Dei, hac simplex videtur ratio, quia æ-
 terna sit Dei Sapiencia & voluntas. Atqui æterna
 Dei sapientia & volūtas incarnari nō possunt,
 nisi etiam Pater, cuius essentialia idiomata
 sunt, æterna sapientia & voluntas, simul caro
 fiat. Huius obiectionis repellēdæ gratia, susq;
 deq; versat se meus prædicans, vociferatur §. 7.
 disp. 3. non est Friccius (vt videtur) per omnia noster.
 Et quis præter eum hoc dixit? non asseueranter, sed du-
 bitanter id dixit, nempe vt forte plenius explicaret
 discrimē personæ & essentia. Verum quid sibi vult
 illud (vt forte plenius explicaret) si legeras,
 Prædicans, id Friccium agere, cur addis, forte,
 cui statim responderi potest per non forte
 cur non planis quod repereras verbis edis-
 ruiisti? Sin autem (quod fit probabile ex alijs
 tuis verbis) non legeras, quo ore id dubitan-
 ter ab eo propositum affirmas? qua fronte
 non aliter te venditas, atque si scopum senten-
 tiamq; Friccij pro certo calleas? Et quid qua-
 ris, quis præter Friccium id dicat: Papa Ge-
 neuensis ad cap. i. Ioan. v. i. idem insinuat ver-
 bis iam iam ad rationis normam à me exami-
 natis.

Christus
 Calvinisti-
 cus gloriæ
 suæ dispen-
 dium fecit
 in incarna-
 tione.

2. Illud etiam fit perspicuum, quod quo-
 rum Christus iam venit, ille de Cœlesti glo-
 ria, quam habuit ante sæcula, non parum de-
 per-

perdidit, ex quo Mediator Dei & hominum in tempore esse cœpit. Probatur ex ijs quæ apod. 2. cap. 10 ad finem, iam dicta sunt. Ibi enim docuimus Dei filium hominem factum iuxta Calvinisequarum oracula etiam secundum Deitatem *orare, obedire, supplicare, seruire, sacrificare, subijci Patri*; hæc vero pugnant, cum ea quam ab æterno habuit gloria, vt secundum quam nihil horum fecerit, nec vero facere etiã potuerit absq; suę essentiæ à substantia Patris distinctione, & gloriæ Maiestatisq; coequalis diminutione, vide locum citatum. Quibus adde testimonium Caluini in literis ad Polonos, vbi intendens oculum in c. 17. Ioan. v. 5. *præposterum, ait, fore votum, de gloria quam petit, si de sola humanitate intelligatur, non etiam de diuinitate.* Adde & Philippi verba manifestissimain thesi posita. Respondet Prædicans §. 9. & 10. *vt rumq; loqui de Christo Mediatore orante secundum vt rumq; naturã à Patre glorificari, & secundum humanam quidem re ipsa, at secundum diuinam non re ipsa (id enim fieri non posse prædicans concedit) sed quoad ostensionem gloriæ.* Sed primò

Resp. Prædicantis.

Refutatur.

Q 2

Secun-

Secundò, iam euicimus supra, diminutam fuisse Christi caluiniani gloriam per incarnationem secundum caluini principia: frustra igitur (vbi de caluini sententia agitur) cõten- dit Prædicans gloriam verè esse idioma essen- tiale deitatis, quod auferri restituiq; non pos- sit. Nec verba Euangelistæ difficultatè vllam continent. Vide Maldonatum ad cap. 17. Ioan. Toletum ibidem.

Caluinista
rum Chri-
stus conci-
pitur in-
formis.

3. Ad cumulum blasphemiarum accedit, quod ad gloriæ diminutionem in diuinitate Christi, etiam Conceptionis quædam indig- nitas in humanitate Christi fingatur à cal- uinistis. Probatur, quia quod ad natiuitatem & partum attinet, nos caluinistæ, inquit Præ- dicans hic §. 2. *nullum imaginari solemus diuinum miraculum, vbi nullius in scripturis sit mentio.* Quod Christi corpusculum in vtero virginis matris sit statim conformatum omnibus suis membris, animatumq; eius non est in sacris li- teris vlla mentio; vt subijcitur §. II. proinde hac in re non ei licet imaginari miraculum. Quid igitur? sed cogitat omnia naturaliter, puta formationem membrorum è sanguine menstruo fœmineoq; semine naturalem, par- tum item verū, proprium, physicum, §. 2. qua- lis est aliarum mulierū cum dolore, cum for- dibus puerperiorum, & tantum non absque obstetrice. Non erubescis ad hæc Prædicans? non pudet te tam physicè de operatione Spi- ritus

ritus sancti è virgine ratiocinari? Imo etiam
 vesaniam tuam §. 13. probabilem tribus allatis
 argumentis facere conaris, aisq̄ue *1. virgo iusto*
tempore Christum in utero tulit, sicut alia mulieres.
 Ergo ab initio fœtus conformatus non fuit.
 Respondeo, si concederes, ergo etiam omni-
 potenti vi Spiritus sanctus procreatus nõ fuit,
 dicerem collectionem tuam esse optimam,
 caluinianisq̄; dignissimam. Sed quamdiu hoc
 abnuis, tantisper vt prius concludas, non lice-
 bit. Eundem enim Deum, qui in virgine pro-
 creasse vobis fingitur, informem massam pro
 nascituro Christo caluinistico, nos catholici
 credimus, virtute sua trãsnaturali veram car-
 nem corpusq̄; animatum, & proinde suis pul-
 chrè distinctum organis & partibus heteroge-
 neis, condidisse pro Christo catholico: vt ve-
 rum maneat illud Ioannis 1. *Verbum caro* (non
 autem massa quædam ex animis) *factum est.* Et
 illud Symboli Nicæni: Et incarnatus est de
 Spiritu sancto: & illud Heb. 10. *Ingressus mun-*
dum hostiam & oblationem noluisti; corpus autem a-
ptasti mihi. Vnde Basilius Magnus in oratione
 de humana Christi generatione: *Quod in ea* (in-
 quit) *natum est, de Spiritu sancto est, ait Euangelista*
 Matth. 1. Hinc deprehendi licet, quod non secundum
 communem modum carnis constitutio Domino fuit;
 conceptum namq̄; illico perfectum fuit, non per inter-
 ualla paulatim formatũ, vt verba declarant. non enim
 dicit quod in ea conceptum est, sed quod in eo natũ est.

Obiectio-
 nes prædi-
 cantis.

Filium Dei
 assumisse
 corpus or-
 ganicum.

Q 3 Simi-

Similia reperies apud Damascenum li. 3. fidei
 cap. 2. Theophylactum in primum Lucæ, Eu-
 thymium & alios. De quibus Suarez Tom. I.
 disp. 13. in 3. D. Thomæ; sed & dic Prædicans
 si tibi momentaneam Christi corporis con-
 formationem licet in dubium vocare, quid
 est quod Spiritus sanctus superueniens, ex vir-
 ginis sanguine formavit? B. Augustino in lib.
 83. quæst. q. 36. dicitur conceptio humana sic
 procedere, vt primis sex diebus, quasi lactis
 habeat similitudinem, sequentibus nouem
 conuertatur in sanguinem, deinde duodecim
 diebus solidetur, reliquis octodecim forme-
 tur vsque ad perfecta lineamenta omnium
 membrorum. Et hinc iam vsque ad partum
 augeatur. Dic prædicans, dic quid horum
 omnium, aut si quid melius habes ex Ferne-
 lio & alijs medicis, dic (quando postremum
 recipis) dic inquam quid ex his Spiritus san-
 ctus produxit? visne lacteum illud vel sangui-
 neum? non puto te adeo fore impium, vt de
 cōceptione inter miracula omnium diuinis-
 sima, & inter res diuinas miraculosissima, de-
 que omnipotenti virtute Spiritus S. totiusque
 Trinitatis operatione in hoc prodigio nihil
 sublimius excellentiusque sentias, quam humo-
 res nescio quos productos, à quibus sensim
 coalesceret corpus, quod quadragesimo pri-
 mum die animaretur & sua priori spoliatum
 subsistentia ad Verbi hypostasim assumeretur.

Sed

Sed inftas fecundo *Spiritus S. eius miraculi nullam* 2. Obiectio
facit mentionem. At in hoc etiam Prædicantem *refutatur,*
 agis, qui oracula Spiritus S. antè posita aut ig-
 nores præ ingenij vecordia; aut dissimules
 ex malitia. Et vt mentionem nõ fecisset; quis
 tamen prudens huic conceptioni momenta-
 neam istam (dignam Spiritus sancti actione,
 dignam Flij Dei incarnatione, dignam matre
 simul & virgine) corpusculi delineationem,
 animulæq; cum eo & verbo diuino vnionem
 abnegare possit? Quæ contra hæc præter im-
 piam proteruiam ratio? quod hic argumen-
 tum in contrarium? Ex quibus etiam tertia
 tua rariuncula cõcidit, qua Catholicæ doctri-
 nã iam propugnatae quæris confirmationem.
 Longè consultius facies alias, si Chameleon-
 tem illum Bucerum de quò in thesi & alios,
 cum suis paradoxis & delirijs sibi relin-
 quas, ne cum ijs in labyrinthos induaris.

CAPVT III.

*An, & quanta gratia anima Christi ab ini-
 tio fuerit ornata.*

VTi articulo præcedenti, de quo apodixi
 2. c. 6. in materia de scientia animæ Chri-
 sti, non habuit, quod solidè constanter que in
 medium afferret; ita etiam in hac de gratia
 quæstione, sibi (quanto minus igitur alijs?)
 non satisfacit. Agnoscit §. 16. animæ Christi
 Q 4 adhuc